



Friderico Ernesto Filio
in sui memoriam offero.
Fridericus Hoffmann.

No. 38.

1. de vera pathologia fundamentis.
2. - vero universa medicina principio.
3. succincta pathologiae ex principio
medicina deductio.
4. de morborum ortu et causis eorum proximis
5. - corporum dispositione ad morbor.
6. - vera morborum sede.
7. - aeris intemperie multorum morborum causa.
8. - dieta vitio multorum morborum causa.
9. - imprudenti medicatione multorum
morborum causa.
10. - morbis ex aliis procedentibus.
11. - transmutatione morborum.
12. - consensu partium &c.
13. - generatione febrium.
14. - morbis recte distinguendis.
15. - morborum causis recte cognoscendis.
16. - generatione morbi in morbis
17. - certo morbi in morbis praesagio.
18. - praesantissimis medendi legibus.
19. - arcana medendi methodo.
20. - modo operandi remedium
physico-mechanico.

VERAE PATHIA
LITTE...
M...
DE FRIDRICO HON...
PRO...
JOHANNES DOM...
...

Handwritten notes in the left margin.



7.
Q. D. B. V.

DE

**AERIS INTEM-
PERIE MULTORUM
MORBORUM CAUSA,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO CAROLO,
BORVSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,

PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNO,
COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU

publice disputabit

JOHANN LEONHARD GEINIZ,
Altenburgensis-Misnicus.

ad diem

Septembris MDCCXV.

H. L. Q. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

17

DE
AERIS INTENS
PERIE MULTORUM
MORBORUM CAUSA
RECTOR MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINO GAROLO
BORVSSIE PRINCIPIS, MARCHIONE BRAN
DENBURGICO, REXIA
PRÆSIDE
FRIDERICO HOFFMANNO
COLLEGI MEDICÆ DECANO
SVO DOCTORIS GRADU
publice dignitate
JOHANNI LEONHARD GELINZ
Altorfensis Medicæ
ad hunc spectantis M.DCC.LXV
M.D.C.C.
Typis CHRISTOPH. ANTONII NITZSCHI, Acad. Typ.





DISSERTATIO SOLENNIS MEDICA
DE
AERIS INTEMPERIE MUL-
TORUM MORBORUM
CAUSA.
§. I.



HActenus eas causas, quæ
motuum vitalium œconomiam in
corpore nostro directe & vehe-
menter turbare ac morbos profer-
re valent, in conspectum adduxi-
mus, neque minus, quomodo cor-
pus ad hæc causas in actum de-
ducendas dispositum esse debeat, ostendimus. Præxi-
mam jam erit, ut de iis causis, quæ nobis externæ sunt,
sine quibus tamen nec vita, nec sanitas consistere pot-
est, quomodo corpus nostrum morbis obnoxium red-
dant, agamus. Hæ causæ a veteribus Medicis non na-
turales appellatæ sunt, quia ad naturam corporis non
spectant, nec immanentes sunt, sicuti temperamen-
tum, habitus corporis, congenita partium dispositio,
quas naturales vocabant: sed externæ & mutabiles,
a quibus nihilominus & vita & sanitas & morbus
A 2 & mors

& mors ipsaq; curatio morborum dependet. Inter has vero principem aer & alimenta locum sibi vendicant. Corpus videlicet nostrum nec saluum, nec integrum sine aere, cibo & potu esse potest, ut potius sub horum perpetuis ingestionibus & egestionibus vigeat ac sustentetur. Aeris tanta corporibus animantium necessitas existit, ut non multo tempore illo carere, sed interire animal debeat, quemadmodum id pulchris exemplis beneficio antliae pneumaticae ad oculum manifestum fit, dum pro nostro arbitrio addendo vel subtrahendo aerem animantibus vel vitam demere vel eam largiri possumus. Neque ullum animal sine alimentis diu vivere posse tam clarum est, ut nulla egeat probatione. Aer enim & alimenta ejus naturae ac indolis sunt, ut non tantum corpus nutriant, sed & robur ac vim motricem partibus solidis & fluidis, quae circumagi, & vitalem circulum conficere debent, materiam subministrent. Maxime omnium vero fluidum illud catholicum aereo-aethereo elasticum elementum vires corporis nostri sustentat, & secundum Hippocratem *Lib. de morb. Jacro* sensum & motum praestat partibus; & spirituum ac virium ut *Avicenna* loquitur, pabulum, & praecipuum movens ac agens corporis nostri est. Et si quod res est eloqui velimus, aer illius calidi, quod Hippocrates *libro de principiis* dicit immortale, quod videt, audit, quod omnia percipit hoc est animae, quae movet & sentit, vehiculum est, & *lib. de dieta* ignis omnia per omnia movens dicitur, siquidem aer elementum quoddam longe subtilissimum, mobilissimum quod *πνεύμα*, vel aethere veteres adpellabant, secum gerit, quod caloris, spiritus ascensionis, fecunditatis, virtutis motricis in corporibus animantium causa ac

fons est. Etenim quod ex aere quidpiam in vim corporis nostri & animi vigoris scedat, vel id documento esse potest, quod aere sereno & puro existente & corpore & animo rectius valeamus. Et vulgus hoc non ignorat cum caelo libero & sereno alacriorem sentire animam & languore mentis ac tristitia cum obscuro & nubilo aere se premi queruntur. Et quodcumque in aere sereno & rusticano versamur, protinus vis & robur universo accedit corpori, appetitus augetur, pulsatio articularum est expeditior. Coeli mutationem inter praesentissima ad recuperandam sanitatem in gravissimis & rebellibus chronicis passionibus auxilia esse referendam cum *Hippocrati* auctoritate, tum experientia optima rerum magistra edocemur. Aliud enim caelum fere universi corporis naturam immutat. Ingens illa populorum diversitas ratione roboris corporis, morum, quin imo dispositionis ad morbos, non aliunde petenda est, quam potissimum ab aere, qui ratione tenuitatis, elasticitatis, densitatis, caloris & frigoris, pro diverso regionum situ, mirifice variat, & non tantum in vegetabilibus eorumque fecunditate, sed & in omnium animantium genere corporum diversitatem producit. Quod si itaque aer temperatus ac purus, subtiliori calido aethereo elemento imbutus praecipuum vitae & sanitatis fomentum est, atque tonum, motum, robur & pulsum solidorum moderatur & fluidorum quoque crassum ac temperatum constituit, quidni aer immutatus, intemperatus & praeter naturam constitutus corpus nostrum afficere, alterare & multis morbis proferendis idonea causa existere poterit? Non sine ratione itaque scribit *Hippocrates Lib. de flatibus §. 6. aer mortalibus vita*

sequitur

A 3

& mor.

O morborum agrotis solus est auctor; & Lib. de nat. hum.
 §. 18. inquit: morbi partim ex diæti, partim ex ære, quem
 inspirando trahimus, fiunt. Nostrum itaque hoc loco e-
 rit, quas mutationes & dispositiones ad morbos aer va-
 rie constitutus corporibus humanis possit interre & quod
 plurimorum morborum causa existat, paulo majori
 cum cura explicare.

§. II. Ex omnibus vero, quæ corpus nostrum affici-
 unt, inque illud influxum habent, nihil magis ad mor-
 borum generationem & statum præter naturam con-
 ferre posse, præterquam aerem, hujus satis luculento do-
 cumento esse poterit, quod non modo quatuor anni
 tempora, sed & venti & hos excipientes variæ tempe-
 states, ipsaque climata sive locorum situs mirifice cor-
 pus nostrum immutent & ad peculiare etiam morbos
 disponere soleant. Cum verò ne quidem ullus medi-
 corum hoc negotium præstantius, inque medicum us-
 sum accommodatius pertractaverit ipso Hippocrate &
 quidem in suis operibus nominatim *Sec. III. aph.* hinc
 etiam tantum ducem sequi & imitari fas erit. Ante
 vero, quam id præstemus & veritatem eorum, quæ
 graviter dixit, expendamus, utile fore judico, qualem
 mutationem & damnum solum frigus & intemperata
 humiditas humanis corporibus invehere possit & inve-
 hat, exponere.

§. III. Maxime omnium vero vehemens frigus & ni-
 mia humiditas corpus nostrum lædit, illudque ad gra-
 ves morbos disponit, siquidem morborum, qui nos
 graviter adfligunt, indolem in vitio solidorum, spasmo
 nempe

nempe & atonia versari, in superioribus dissertationibus accurate satis & copiose discussum est. Jam vero ipsum frigus eos maxime fovet morbos, qui a spasmo seu nimia fibrarum strictione proficiscuntur, humidum vero excessivum ob id maxime inimicum est corpori, quia solidas partes & fibras nimium relaxando, tono & robore suo exurit, ut deinde ad decubitus, stagnationes, obstructions, corruptiones & chronicas passiones pateat aditus paratissimus. Etenim si quid vitæ & sanitati est adversum & infestum, sane est ingens & acre frigus, si in solidas vel fluidas partes penetraverit. Quid enim est, quod tam potenter sanguinem in motu suo progressivo, in circulum abeunte, sistere & vel universum corpus vel ejus partes enecare possit, quam intensum & validum frigus, eo quod intestinum illum calidum motum, qui & fluiditatis & spiritus ascentiæ ac virium in nobis auctor est, penitus extinguat.

§. IV.

Nocet vero vehemens quam maxime frigus ipsis solidis & exquisitori sensu præditis partibus, quales sunt illæ, quæ tenuissimum illud fluidum, quod sentum & motum præstat, complectuntur, ut sunt nervi, membranæ, cerebrum, spinalis medulla, ventriculus, intestina, vesica, quas mirifice lædit, dum non modo fluidissimam illam calidam materiam in motu turbat, sed & ipsos poros ac tenuissimos meatus obstruendo, stringendo, contorquendo vitiat, ut pristinum robur ac tonum ægerrime recipiant, atque adeo rebelles plane & invincibiles morbi exinde subnascantur.

§. V.

Capitis & quæ cranium cingunt membranæ, si intenso

tenso frigore tanguntur, sæpe ita vitiantur, ut inexpugnabilis hemicrania inde subnascatur. Pectus si vehementiori frigori diu exponitur, ita nervi præcordiales læduntur, ut convulsivum asthma exinde propullulet, quod ne ulla quidem medicina facile superatur. Ventriculi & abdominis regio frigidiori si crebrius objicitur aeri, stomachum inflatio, intestina colica spasmodica & flatulentæ tensiones ita exercere solent, ut ægre mali vis discutatur. Ad uterum paulo liberius frigidus admissus aer, ejus vasa ita constringit ac lædit, ut postea difficillime superfluum, qui singulis mensibus ejicitur, sanguinem emittant, irreparabili sanitatis feminarum damno. Quam grave detrimentum puerperis adferat frigus, ubi lochiorum fluxio est, funestæ inflammationes & febres, ex lochiis suppressis ob frigus receptum natæ, loquuntur. A vento boreali perquam frigido, in membranas musculorum penetrante, frequentissime gravissimus rheumatismus vel ischiadicus dolor difficulter sanabilis inducitur. Ad excretionem criticam febrium cohibendas vel exanthemata reprimenda nihil frigore est pestilentius, hinc sæpe unica causa mortis existit. Et notabile est, quod frigoris ea sit natura, ut, si quædam tantum corporis pars ab ipso tangatur fortiter, totum corpus in consensum trahatur, ut coctio & totius perspiratio minor fiat, quemadmodum *Sanctorius Sect. I. aphorism. 3.* scite protulit. Denique omnibus affectibus spasmodicis, convulsionibus, doloribus tam colicis, quem qui fiunt a calculo, in podagra, in capite, in dentibus frigus est inimicissimum. In hæmorrhagiis nihil deterius est, quam pedes vel manus frigido aeri exponete, eo, quod spasmum prin.

principales sint sanguinearum excretionum cause, qui quanto vehementiores sunt. tanto maior fit sanguinis profusio. Symptomata, quæ hypochondriacos exerce-
re solent, potissimum spasmo ventriculi & intestinorum debentur, vix unquam vero illa, præterquam hieme, & sub frigore, sæviora experiuntur. Cum primis autem aer frigidus intestinis est hostilis, unde, qui ad colicam vel diarrhæam sunt proclives, flante borea, vel si tantummodo pedibus super stratum frigidum ambulant, protinus hujus mali truculentiam patiuntur.

§. VI.

Deinde aeris diuturna & nimia humiditas valde est solidis nostri corporis partibus, fibris, nervis ac membranis insensa, eo, quod ipsas nimium relaxet earumque tonum destruat, hinc in capite gravitatem, torporem, somnolentiam, auditus difficultatem infert. At si pulmonis vesiculas relaxat, ingens fit sanguinis ibi decubitus, unde respiratio fit anxiosa & citatior cum dolore. Totum porro corpus fit hebes, fit languidum, ad labores sustinendos minus aptum, appetentia decrescit. Quod maximum vero, omnes morbi, qui ex atonia fiunt, ex tali statu aeris diuturno & generantur & incrementum capiunt; sicut infra id fusius deducemus. Pessimus autem ille aer, qui frigidus & humidus est, talis enim, ubi pervenit ad interiora corporis, ad stagnationes, stases sanguinis & humorum inferendas, est aptissimus, nam ratione humiditatis fibras relaxat, & ratione frigoris humores coagulat eorumque motum sufflaminat.

§. VII.

Quum itaque tanta ad lædendum corpus nostrum perfrigido neque minus humido aeri insit potentia:

B

hinc

hinc facile patet, cur aquilo frigidissimus & auster cum zephyro mixtus, humido suo calore tam infensi sint sanitati, ut nos ad multos & maxime periculosos morbos disponant. Equidem venti aquilonares & orientales iis, qui ex plaga occidentali & meridionali feruntur, longe sunt salubriores, quia multum expansivi ætheris secum ferunt, quo, nebulas & nubes dissipando, serenitatem inferunt; nihilominus iis corporibus, ubi fibræ motrices nimis tensæ, constrictæ & pressæ sunt, nocent, præsertim si rara & juvenilia fuerint, & austrina ac humida aeris constitutio præcesserit: ibi enim redundantem in vasis sanguinem una cum sero, & sæpius serum solum in præcordia & vasa majora magna vi pellunt truduntque, unde viscera non modo ab ipso sanguinis infarctu intumescunt, sed & serum separatur, hinc catarrhi, deflexiones, arthritides, crebriores mictiones & alvi defectiones fiunt. Ubi vero corpora strictiora & sensibilia sunt, ac pori angustiores, uti in cholericis, tunc aquilo transpirationem omnesque excretiones magis sistit, quare recte *Celsus Lib. II. Cap. I. §. 20.* scribit: *aquilo tuum movet, fauces exasperat, ventrem adstringit, urinam supprimit, horrores excitat, item dolorem lateris & pectoris infert, sanum tamen corpus spissat & mobilius atque expeditius reddit.* Et *Rhasis Lib. V. de re med. Cap. IV.* prodidit: *ab aquilonaribus ventis ille custodiendus est, qui in pectore asperitatem sentit, aut tussim patitur, vel quibus pulmo aut pectus debile est, hic enim, si aerem attraxit frigidum, ad tussim vel ad sanguinem spuendum velociter perveniet.* Illud porro sæpius animadversum est, quod borea flante facile fiant febrium intermittentium recidivæ, præsertim, si quis paulo

lo liberius frigido vento corpus exposuerit: succedunt mox horripilationes, dolores in dorso & tensivæ inflationes circa abdomen & sic de novo paroxysmus febrilis recrudescit. Jam vero nihil notius est, quam quod omnia hæc pathemata, quæ calorem antecedunt febrilem in intermittentibus, ut sunt refrigerationes partium, horrores, rigores, dolores dorsi & pedum contusivi, conatus ad vomendum, inflationes ventris nonnisi partium membranosarum stricturæ debeantur.

§. VIII.

Notabile porro in praxi est, quod dolores, qui ex calculi renalis descensu per uretheres nascuntur, maxime sub flatu ventorum aquilonarium fieri soleant: quia corpus hac ratione strictius redditum, facilius e sede sua dimovere peregrinum hospitem conatur, vel si dolores calculi jam adfuerint, ii superveniente borea sæviores evadunt, quia, quo major fibrarum membranosarum est tensio, hoc acutior in illis oritur dolor, qui a tremula & tensiva harum partium agitatione proficiscitur. Perquam curiosa porro est observatio, quod is, qui ex calculo vesicæ laborat, semper spirantibus ventis borealibus majores molestias sentiat, quæ sub austri- no & humido aeris flatu levantur. Ex quo clarissime intelligitur, ventorum potentiam non modo in externas, sed etiam in interiores partes & omne corpus permanere & tum fluidas tum solidas pro natura sua adficere, & motum earum conturbare.

§. IX.

Quem arthritici, odontalgici aut podagrici dolores exercere consuecunt, is semper suo damno experitur, majorem sævitiam hieme, & vento boreali flante,

te, quam alias observari. Qui apoplectico insultu tentantur, sanguine copioso præditi, hi sub plenilunio, ubi major fit humorum turgescencia flante borea & tempore hiemali illius patiuntur: siquidem apoplexia nostro quidem iudicio hæmorrhagiæ cerebri species est, quæ raptu sanguinis ad caput, ob spasmos remotiorum partium suscitatur. Omnes inflammationum species, ut anginæ, ophthalmiæ, pleuritides, peripneumonix in plethoricis & raris corporibus, quæ facile sudore diffluunt, aquilonari flatu producantur, non aliam ob causam, quam quod hic sanguinem cum vehementia ad vascula capillaria urgeat, ibidemque eum in motu sistat. Notandum & hoc est, quod omnes, qui pectore laborant, & qui inflammatione aut febre inflammatoria detinentur, sub aquilonari serena frigida tempestate semper pejus se habeant, siquidem in omni inflammatione valde tensæ sunt & rigidæ fibræ, quas rigidiores, & hinc quoque sensibiliores hic ventus efficit.

Longe vero alia ratio est ventorum, qui ex oceano Atlantico & mari mediterraneo ad nos feruntur, hi enim valde levem ac raram reddunt atmosphæram, aerisque elaterem & pressionem debilitant, & multis vaporibus & aqueis exhalationibus eum implent, hinc etiam turbidum, nubilum ac pluviosum reddunt cælum. Quandocunque hi venti in atmosphæra nostra regnare incipiunt, tunc protinus argentum vivum in barometro dimittitur, manifesto indicio, leviorẽ & minoris pressionis factam fuisse atmosphæram. Omnia animalium genera horum itidem virtutem in corporibus suis illico experiuntur. Homo nempe an-

xio quasi calore premitur, largius sudat, respiratio fit citatior, corporisque habitus intumescit: animalia autem tam terrestria quam aëria & aquatilia, varias insolitas & extraordinarias motiones, actiones, agitationes, vociferationes, clangores edunt & efficiunt, ex quibus etiam vulgus tempestates impendentes præfagire solet. Qua de re latius videri meretur *Verulamius in Hist. Vent.* Nam sub tali statu aeris humido tepidoque corporis habitus relaxatur, & densa, quæ fuerunt, flaccescunt, cutis spongiosa ac rarior redditur, ad sudorem disponitur, calceamenta & tibialia laxiora fiunt, coria molliora.

§. XI.

Sub tali itaque aeris statu, cum fibræ motrices laxantur, earumque robur & pressio minuitur, non potest aliter fieri, quin circulus sanguinis, ob cordis & arteriarum robur fractum, lentior & segnior evadat & inde cum eo pari passu ambulans transpiratio retardetur, sicque multæ impuritates in corruptionem pronæ in vasis colligantur. Denique, quia membranarum, quæ sensationis subjectum sunt, ex nimia humiditate, fit relaxatio, hinc vigor sub tali aeris constitutione omnium sensuum minuitur. Ventriculus quoque & intestina suum inde patiuntur detrimentum. Nam quia motus eorum peristalticus labefactatur hinc appetitus, digestionis vis & facultas secernendi inutilia, eaque per alvum excernendi, minor evadit, unde etiam multarum sordium in prima regione accumulatio, quæ multis morbis fomitem præbet, originem suam habet. Disponunt itaque hi venti quam maxime ad morbos putridos, malignos etiam & ex chronicis ad scorbutum,

ad cachexiam, tumores oedematolos, in capite ad epilepsiam, paralyfin, affectus soporosos, memoriæ abolitionem, surditatem, guttam serenam, dolorem capitis gravativum, catarrhos & glandularum tumores.

§. XII.

Neque vero erit inconsultum has veritates auctoritate summorum virorum corroborare. Et inter hos primi merito ordinis est gravissimus noster parens Hippocrates, qui *Sec. III. aph. 5. austrum auditum gravitatem, caliginosum, caput molestantem, torpium, dissolventem describit.* Et *Rhals Lib. III. Cap. XXV.* de vento australi hæc habet: corpora dissolvit, sensus turbat atque dolorem capitis & oculorum ægritudinem facit, epilepsiam quoque ante consueta tempora accelerat & febres identidem parit putridas. Et *Celsus Lib. II. Cap. I.* hæc scribit: *auster aures hebetat, sensus tardat, capitis dolorem movet, album solvit & totum corpus efficit hebes, humidum & languidum.* Apud *Horatium Lib. II. Sat. III.* hic ventus plumbeus adpellatur, quod etiam jam suo tempore notavit *Galenus*, qui scribit *de theriaca ad Pisonem Cap. XI.* quendam ex suis sodalibus in lecto cubantem solitum divinari, quis ventus spiret, nam quoties sibi gravari caput sentiebat, statim dignoscebat ventum austrum esse.

§. XIII.

Igitur sub ejusmodi tempestate præhumida & calida ac pluviosa, præsertim vernali & autumnali, pituitosi, senes, infantes & qui spongiosi habitus corporis sunt, inde pœnas luunt, cachectici tunc majorem virium languorem & ingentem membrorum lassitudinem percipiunt: qui imbecillos habent pulmones, si per tus-

sim

sim ingentem viscidæ pituitæ copiam ejiunt, gravidæ longe grandio rem ventrem gerunt & morbidos infantes prægnant, inque puerperio facile in purpuram vel alios putridos morbos incidunt. Quibus colli glandularum & amygdalarum tumores familiares sunt & qui faucibus laborant, iis sub tali tempore facile hi affectus recrudescunt. Qui ulcera habent manantia & serosas putridas excretiones, ut fit in gonorrhœa virorum benigna vel maligna vel fluore albo, illi copiosiore & magis fordidum fluxum experiuntur.

§. XIV.

Postquam itaque naturam ventorum eorumque vires in morboſis reddendis humanis corporibus perſcrutati ſumus, ordo jam poſcit, ut etiam anni tempora, quæ differens ſolis ſtatus efficit, conſideremus & qua ratione illa corpora ad morbos præparent, diſpiciamus. Placet autem in eo ſequi divum noſtrum Comum, qui *ſect. III. aphor.* morbos cuius anni temporis convenientes fideliter & dextre recenſet. Tametſi vero ejus clima, ubi vixit, à noſtro ſit diverſum, quod perpetuo in lectione auctorum medicorum ſervandum eſt, nihilominus multa ibi invenimus, quæ utique ad noſtrum clima etiam ſpectant, cum ſimiles morbi ibi deprehenduntur. Idem Auctor *aph. 20. cit. ſect.* ita eloquitur: *vera inſania & atra biles & comitales & ſanguinis fluxiones & angina & gravedines & tuſſes & lepra & impetigines & vitiligines & puſtula ulcereſa plurima & tubercula & morbi articulares.* Quæ ægri tudines in tres claſſes, re bene perſpecta, quam opportune reduci poſſunt, ſiquidem aliæ a ſanguine redundante, eo que per ſpaſmos ad ſuperiores corporis partes congeſto, fiunt,

unt, cujus generis sunt insaniam, melancholiam, epilepsiam, hæmorrhagiam & anginam. Aliæ a sero stagnante & in partibus glandulosis faucium & articularum decumbente fiunt, ut gravedines, raucedines, tusses, arthritides. Quædam a viscido, impuro & falso sero, ad summam cutem ejusque glandulas protruso & cutis texturam dissolvente, enatæ fuerunt, ut lepra, impetigines, pustulæ ulcerosæ, tubercula. Videlicet vernali tempore atmosphæra valde temperata, humida & calida est; hinc sanguinis & humorum facile gignit abundantiam & orgasmum, quare non mirum est, si prioris ordinis morbi in sanguineis, secundi ordinis in pituitosis & tertii ordinis in melancholicorum corporibus suscitentur.

§. XV.

Devolvimur jam ad eos morbos, quos æstivum tempus progignit, e quibus sequentia *Sec. III. aphor. 26.* Hippocrates memoriæ prodidit: *æstate & febres continue & ardentes & tertiana plurima & quartana & vomitus & alvi profluvium & lippitudines & aurium dolores & oris exulcerationes & pudendorum putredines & papule sudorose*; ratio hujus aphorismi videtur hæc esse: æstate scilicet, ob ferventissimum solis æstum, intestinus calidus partium sanguinis motus major fit & increfcit, quo sanguis & humores in copiosum, bilioso fæsum excrementum dissolvuntur, quod cum bile & succo pancreatico ad ventriculi & duodeni cavum descendens, ob moram, quam trahit, corrumpitur, & lancinando ac inflammando has nerveas partes, partim febres continuas, ardentes, partim tertianas exquisitas & nothas simplices & duplices vel etiam continuas, in cholericis præsertim & iracundiæ deditis, sique in diæta delinquant, & auræ

& auræ nocturnæ frigidiori sese committunt, suscitant; Ab hisce excrementitiis, biliosis, acribus sordibus, vomitus & alvi profluviorum origo est, in melancholicis vero intermittentes quartanæ magis conspiciuntur; in ferosioribus vero biliosæ & falsæ impuritates ad partes extremas, utpote aures, fauces, oculos, pudenda pro-
pulsæ, intercepta simul transpiratione, lippitudines, aurium dolores, oris & faucium exulcerationes, pudendorum putredines & papulas sudorosas faciunt.

§. XVI.

At alius status aeris est sub autumno, ubi atmosphaera valde humida & mutabilis existit, cum, ipso barometro teste, mox levis ac rara, continuam in argenti vivi motu mutationem facit; hinc cœlum serenum haud multo post pluviosum, nubilum & turbidum evadit, & modo calore, modo frigore corpus nostrum afficitur. Sub tali itaque aeris frequenti mutatione, ob tonum fibrarum & cutis deperditum, multæ excrementitiæ, & humidæ sordes in corpore accumulantur, quæ de causa autumnus fecundo sinu tales profert morbos, quales Hippocrates aph. 22. Sect. III. describit, dum ait: *autumno multi morbi ex astivis & febres quartanæ & erronæ & splenes & hydropes & tabes & urinae stillicidia, & intestinorum levitates, & dysenteria, & coxendices, & angina & anhelationes & volvuli & comitiales & insania & atra bilis.* Etenim in melancholicis, qui sanguine viscido abundant, ob relaxatum viscerum tonum, perquam facile tumores lienis, in hepate hydrops, in pulmonibus phthises & rabes fiunt. Siquæ bilis corrupta & acrior, cum acido & viscido humore mixta, in duodeno diutius hæreat, febres quartanæ & erronæ fiunt. In phlegmaticis vero, tran-
spirat

spiratu liberiori intercepto, si impurum serum ad vesicam fertur, strangurias; ad intestinorum membranas delatum crebras dejectiones vel etiam dysenterias parit. Ubi autem ad articularum ligamenta & ad ipsum os ischii impuritas descendit, arthritidis & mali ischiadici fit origo, in faucibus vero idem serum, quando decumbit, anginam & asthma suffocatorium progignit. Quodsi vero sanguis crassus, ob inferiorum partium spasmos, rapitur ad caput, insanix, mania & melancholia in conspectum veniunt.

ad Alia vero adhuc est aeris intemperies tempore brumali, ubi propter acre gelu cutis pori ac meatus stringuntur, clauduntur & fibrae universi corporis rigidiores evadunt, ipsique humores facile coagulantur atque in motu sistuntur. Eaque propter in scenam prodeunt hi morbi, quos Hippocrates aph. 23. ejusd. sect. recenset & sunt: pleuritides, peripneumonix, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectoris, laterum, lumborum, capitis dolores, vertigines, siderationes. Etenim in iis, qui sanguine crasso redundant, praesertim si paulo ante corpus incaluerit, frigus hibernum sanguinem in pulmonum vasculis sistit, & vel inflammationem superficialiam, pleuritidem, vel profundiore, peripneumoniam, inducit; in corporibus vero repletis & phlegmaticis frigus humores ad partes glandulosas retundit; ubi stagnans gravedinem, raucedinem & tussim adfert. At, si illud ad membranas pellatur, tunc intra costas pleuritis spuria, intra membranas muscutorum rheumatismi, inque capitis membranis varii dolores resultant. Sanguinei vero, praesertim senes & spongiosi corporis habitus, congestiones sanguinis ad caput experi-

periuntur, inde ejus dolores gravativi, vertigines, apoplexia, lethargi fiunt.

§. XVIII.

Cum vero Avicenna de anni temporibus, quomodo corpora mutant & causas interiores morbosque excitent, præclara scripserit in *Canon. Med. lib. 1. Sect. 11.* rem haud inutilem fore arbitror egregia hæc loca adducere. Vere, inquit, morbi ex sanguine fiunt & sanguinis per scdem & per vias profusio, angina, furunculi, hæmoptyses, zusses, phibisis, articulorum dolores, quos concitant animi vel corporis immoderata motio & calefacientia. Et nihil æque tætur a morbis veris, quam vena sectio, purgatio, cibi parvitas & potus largitas. Aestas vero bilem generat, acuti & nigram facit, dum exhalat tenue. Senes æstate valent. Morborum tempora reddunt breviora. Fibris tertiana, ophthalmia. Si vento vacat id tempus, erysipelata pustulaque erysipelatis naturam habentes. Austrina aestas pestilentia & variolarum facunda est. Autumnus plurimis morbis patet, quod homines id temporis in calido sole subinde apricantur, frigore postea excipiuntur & quod magna tunc sit ubertas fructuum, e quibus pravi progignuntur humores, quod denique vires ætate sint dissolutæ. Humores ergo propter mala cibaria corrumpuntur, quia tenuior portio absumitur & crassior relinquitur & adurit & si natura evacuat humorem, frigore disreprimitur & intus coarctetur, paucus quoque adest sanguis. Morbi sunt scabies, arthritides, canceri, quartana, febres complicata, urinae difficultas, diarrhæa, angina, ischias, apoplexia, pulmonis morbi, dolores dorsi. Crassantur variola, si autumnus siccus fuerit atque aestas progressa calida. Est vero nocentissimus autumnus iis, qui pulmonis habent ulcera & jam phibisi laborant, detegit quoque hunc affectum incognitum. In hieme, quia fructuum

est penuria & homines edulis alibilibus vescuntur atque saturato ventre se exercent, ardensissima compingitur materia & tunc incidentia adsumere est necesse, tumores sunt subalvidi, gravedines, pleuritis, raucedo, faucium dolores, dorsi dolor, dolor capitis diuturnus, epilepsia, apoplexia, senibus vero hiems est inimica. Hic est egregius ille Avicennæ locus, quem totum adscribere non pigeat, quia & in experientia & in solida ratione fundamentum habet.

§. XIX.

Magnam itaque aeris vim & efficaciam, non modo ad morbos infligendos, sed & ad eos facilius vel difficilius profligendos esse, usu atque experientia compertum est. Hieme enim quartanam vix ac ne vix quidem curari posse in aprico est. At quartanæ æstivæ, etiam secundum Hippocratem *Sec. II. aph. 25.* maximam partem sunt breves, & autumnales longæ. Quin etiam quartanæ, quæ per totum autumnum, hiemis & veris cursum durarunt, circa solstitium æstivum sua sponte finiuntur. Tardat enim hiems morbos, æstas vero maturat & ad colliquandos humores morbosos, atque ad obstruções referendas aptissimus est. Neque ignotum in praxi est, tertianas, quæ proveniunt autumno, semper difficilius esse sanationis, iis, quæ vere vel æstate proveniunt. Quemadmodum enim æstate semper plus & liberius perspiramus: ita ab æstivo quinoctio autumnali & solstitio hiemali semper paulatim perspiratio decrescit; & ideo etiam *Sanctorius Sec. I. aph. 150.* diligenter & curiose observavit, corporis pondus in autumno subinde augeri, quod æstate diminuitur. Ex hisce omnibus evidenter colligimus, cum natura ad sanandas intermittentes liberiori perspiratione utatur, quod eam quoque imitari & arte hanc etiam adjuvare convenienter

enter debeat medicus, si feliciter harum febrium contumaciam expugnare velit.

§. XX.

Temporum igitur mutationes potentissime ad sanitatem & morbos facere, cum ex superioribus, quæ adduximus, tum etiam exinde dilucescit, quod æquinoctia & solstitia mirifice corpus nostrum adficient & mutationem sensibilem inferant. Sunt in nostris regionibus vero naturæ maxime intensa æquinoctium autumnale & solstitium hibernum: sub his enim natura videtur imbecillima, quare etiam *Hippocrates* monet a medicamentis fortioribus & purgantibus tunc esse abstinendum. Observavimus in plethoricis circa æquinoctia febres tertianas duplices, defluxiones ad tonsillas, dolores dorsi, motus hæmorrhoidales, abdominis inflationes, nisi matura venæ sectione vel purgatione præveniamus. Sani plerumque epidemicis malis corripuntur: chronicis vero laborantes circa æquinoctia vel solstitia, vel in melius vel deterius labuntur. Et diligenti observatione animadvertimus, solstitii æstivi tempore corpora nostra lassari & ad omnia consueta munia inutilia existere: infantes quoque istis temporibus conceptos constitutione corporis imbecilliori existere notatum fuit. Plures ordinario rerum cursu in æquinoctiis mori notamus, scribit *Licetus de subita morte*. Id quod etiam confirmat experientia, nam eos, quos servavit æstas vel hiems morbis chronicis adfectos, æquinoctium accedens tollit & nunquam homines plus ægrotant, quam in autumni & veris principio: & tunc temporis & medici & pharmacopœi & vespillones suam habent messem. Menses enim non dantur sanitati & vitæ infestiores Martio & Octobri, ubi ingens aeris est

mutatio, ex calore in frigus, ex frigore in calorem, ex tranquillo in ventosum & impetuosum, ex sereno in pluviosum & caliginosum & contra. Tum argentum vivum in barometro modo ascendit, modo descendit & crebrius stationes suas mutat, argumento luculento modo gravem & compressam, modo levem & raram esse atmospheram. Æstivis vero mensibus raro ægrotant homines. Chronicæ fere omnes passionés conquietunt & messis frugalis tempore & medicorum & pharmacopœorum vespillonumque messisetiam quiescit. Atque adeo vel ex hoc solo sagax medicus addicere debet, quid moveat, quid mutet corpus nostrum, quid in eo inprimis sanitatem præstet & morbos interat. Quin etiam ex hoc unico discere debet medicinæ initiandus, ad hanc artem recte faciendam non esse aptius subsidium exquisita rerum physicarum cognitione, quam nonnulli nostris temporibus, pessimo more & fato, secludere contendunt, non advertentes & vitam & sanitatem & morbos eorumque faciliorem & difficiliorem curationem unice fere a causis externis physicis dependere. Eaque propter non satis laudare possumus *Hippocratem* nostrum, qui indefesso labore ac diligentia, quomodo aer, isque secundum ventos, anni tempora & tempestates mutatus, quomodo etiam locorum, aquarum & victus differentia ad morbos inferendos eosque sanandos conferat, observationes in immortalem nominis sui celebritatem monumentis consignavit & posteritati reliquit, quemadmodum libri ejus, quos scripsit de aeribus, aquis & locis, de flatibus, de dietis, de locis in homine, de natura humana id clarissime evincunt.

§. XXI.

Defuncti jam horum tractatione ad generationem morborum, qui Græce epidemii adpellantur & certis temporibus populariter grassari solent, devolvimur. Horum morborum magnus est numerus, iisque maxima pars hominum adfligitur atque e medio tollitur. Non vero alia horum, quam ex aere origo est. Recte enim scriptum ab Hippocrate lib. de nat. hum. §. 18. legimus, quando ab uno morbo multi homines corripuntur eodem tempore causam ad id, quod communissimum est, & quo maxime omnes utimur, referre oportet. Est autem hoc spiritus & aer, quem inspirando trahimus, quem morbosam aliquam exhalationem habere par est, ideoque §. 19. hanc cautelam adjicit: providendum tunc est, ut quam paucissimus aeris influxus in corpus ingrediatur & hinc regionum locos, in quibus morbus consistit, quantum ejus fieri potest, permutare oportet. Sicuti enim aer tantam potentiam in solidas & fluidas universi corporis nostri partes habet, ut supra ostensum est: ita quoque ejus mutationes temporumque varietates ac multivarie tempestates, quas ventorum flatus maxime exhibent, mirifice naturam nostram, hoc est corporis nostri quoad solidas & fluidas partes dispositionem permutant: atque adeo verissime scribit Hippocrates Lib. de humoribus §. 7. qualia sunt tempora, tales etiam erunt ipsi morbi & constitutiones ex ipsis. Si tempora tempestive & ordinate se habuerint, morbos judicatu faciles faciunt. Vernaculi autem temporum morbi indicant mutationes & prout evaria-verit tempus similes aut dissimiles erunt morbi, qui in hoc tempore oriuntur.

§. XXII.

Quemadmodum vero omnis bene temperatus, pu-

rus

rus & serenus aer corpori nostro est amicissimus, dum cordi & fibris motricibus robur & vim suggerit, mentem serenat, appetentiam, concoctionem, supervacuorum dissolutionem, expurgationemque procurat: ita omnis supra modum intemperatus vel aliena permixtione inquinatus, præsertim si diu regnaverit, aer ad morbos infligendos est aptissimus, motum ac robur subtrahit partibus, corpusque gravat atque densat & supervacuorum dissolutionem cohibet. Et quoniam plurimos pariter attingit, ejusque non ut ceterorum incommoda, facile declinare possumus, hinc in corpus penetrans suis vitiis omnia perfundit & aer epidemicorum fere morborum auctor est. Ad horum vero classem fere omnis generis febres, inflammationes, fluxiones, & exanthemata referimus, ut sunt pestis, febres petechiales, purpurata, variola, morbilli erysipelatica, arthritica, catarrhales, itemque continua, maligna & benigna, ardentes biliosa & omnis generis intermittentes neque minus inflammationes, pleuritides spuria & vera, peripneumonia, angina, ophthalmia, item dolores rheumatici, ischiatici, articulares, cephalalgia & fluxiones, ut diarrhoea, dysenteria, coryza, gravedines, tusses, qui morbi certis temporibus grassantur & disposita corpora adoriuntur & maximam solent edere stragem, nullam aliam naturae originem, quam quod vel intemperatus aer diu regnaverit, vel quaedam præternaturalis aeris constitutio & temperies cum altera contraria subito permutata fuerit.

§. XXIII.

Quod attinet vero ad tempestates inordinatas & morbosas, inter eas nulla corpori nostro insensior est, quam diuturna humida & pluviosa, quam venti australes & occident-

cidentales diu reguantes exhibent, utpote quæ, tum fibras exiit robore suo, tum fluidorum progressum, & supervacuorum excretionem tardiolem & impeditiolem reddit, unde corpus humiditatibus impuris accumulatur, quare facilis ad morbos putridos est transitus. Longo itaque jam tempore animadversum & historiârum ac chronicorum monumentis diu consignatum est, diuturnas humiditas & pluviolas tempestates malignos morbos, imo ipsam pestem ingenerasse. Ita Hippocrates in epid. libris scribit, aliquando post diuturnas pluvias ingentem ortam fuisse pestem, totam civitatem Abaton pervasantem. Et Galenus de temporibus cap. IV. annum plus iusto humidum pestis esse prænantium prodidit. Verum enimvero probe hoc loco animadvertendum esse arbitror, quod sola aeris humiditas, etiam excessiva, tametsi corpori sit inimica, nihilominus ipsi pestilentie inducendæ minus sufficiens sit. Res autem ita sese habet. Quando a nimis pluviis vel inundationibus aquæ stagnant, præsertim in declivioribus, venti q; minus objectis locis & solis æstus accedit, tunc incipiunt aquæ putrescere, unde putridis, naturæ corporis nostri insensissimis exhalationibus aer inquinatur & ita maligni morbi, quorum origo ex tenui & facile diffundenda putredine est, procreantur.

§. XXIV.

Ex hisce jam fuit ratio, quare olim austro tanta pestentia adscripta fuerit pestilentiam progignendi, quia nempe humidus & calidus est, quo nihil ad putredinem efficiendam aptius esse ipsa rei natura edocet. Pestis, quæ quotannis in Ægypto oritur, non aliam habet originem, quam quod Nilus increfcens regionem inundet & aqua super terram stagnans paludosa fiat, unde accessu australi-

D

um

um ventorum & æstus, aer putridis inquinamenti con-
 spergitur, quæ sanguinem & humores ad putredinem, qua
 pestilentia natura continetur, disponunt. Putredo enim
 semper procreatrix pestis est & hac quoque in corpori-
 bus, ad eam recipiendam habilibus, efficacissime propaga-
 tur. Febres malignæ pesti non absimiles, quæ in castris
 oriri solent, contagio maxime infestæ, maximam partem
 putridis exhalationibus, quæ ex hominum & animantium
 excrementis & aquis stagnantibus, aliisque sordibus pro-
 veniunt, quoad primam originem debentur, quæ si in
 corpus penetraverint, illud putredine vitæ inimicissima
 contaminant, quæ postea mirifice propagatur & ab uno
 corpore in alterum transit. Ea loca & urbes, quæ aquis
 paludosis & stagnantibus circumcincta sunt, perpetuo ma-
 li moris morbis, videlicet petechiis, variolis, purpura in-
 festantur, qui tanto acerbiores & frequentiores sunt, quan-
 to magis loca humiliora & incolæ gula & abdomini
 dediti sunt. Longa quoque & irrefragabili experientia,
 quam chronologiæ scriptores nobis suggerunt, comper-
 tum est, insolitas & præternaturales aquarum diluviones
 & terrarum inundationes, superveniente solis æstu, plures
 epidemias mali moris proferre febres, quæ non modo
 insuetis symptomatibus homines adoriuntur, sed & diffi-
 cillioris judicationis sunt.

§. XXV.

Pessima vero nota est epidemicorum morborum,
 si sub tali humida & calida tempestate copia insectorum
 conspiciatur, utpote quæ de putredine in aere existente
 clarum testimonium exhibent. Verissime itaque non-
 minus quam perite *Joh. Damascenus aphorism. 132.* scribit:
abruu gentium, quocunque anni tempore phalanges musca-

vium

rum redundaverint, ibidem & ægri tudines, quæ ex puered-
ne oriuntur, in corporibus indigenarum redundabunt: ita
etiam Riverius *Obfero. IX. pag. 697.* post infectorum innu-
merabilem congeriem, febrem epidemiam mali moris
grassatam fuisse, testatur. Et Verulamius in *Operibus pag.*
923. auctor est, annos iafalubres fore & pestis suspicione
infamari, quando ranarum, muscarum, locustarum mul-
tudo est, quia hæc animalia ex putredine oriuntur, hinc
quoque rectissime *Valeriota Obs. I. L. II. pag. 95.* ex infe-
ctorum & locustarum copia morbos epidemios prænu-
tiavit.

§. XXVI.

Præterea diligentiori & attenta observatione con-
stat, quod hieme existente tepida & austrina, si veris ini-
tium valde tervidum fuerit, subito febres symptomatibus in-
festas per regiones subnasci soleant. Hujus experientia ratio
esse videtur, quod stagnantes hieme aquæ putredinem in-
duerunt, quæ æstu elevata & subtilior facta corporum in-
teriora pervadens pestimæ notæ febres producit. Ita an-
no MDCCXI. notabile & singulare omnino hac de re
habuimus exemplum, ubi hiems erat valde austrina, nive
& glacie vacua, postea mense Aprilis ingens per aliquot
dies erat æstus, quem excepit frigus, hunc postea rursus
magnus atmosphæræ fervor sequebatur absque ulla plu-
via; excitata tunc fuit febris per universam ferme Ger-
maniam, ita ut non facile ullus locus liber permanferit. Qui
libero sua corpora, præsertim sole occiduo, exponebant
aeri, non multo post tempore in febrem gravem cum
summa debilitate, dolore capitis, dorsi, vomitu; anxietate,
pectoris oppressione incidebant, quidam delirio affi-
ciebantur. Subsistebant hæc symptomata per tres vel
quatuor

quatuor dies. Propinatis bezoardicis fixioribus cum nitro mixtis, vehementia symptomatum protinus exspirabat & ad vires pristinas se recipiebant, paucis mortuis. In *Misc. Nat. Curios. D. I. Art. VI. Obs. 145* commemoratur, quod Anno MDCLXIV. post hiemem mollem & pluviolosum, ver astuosum plurimos infantes faucium inflammatione & tumore oedematoso trucidaverit.

§. XXVII.

Grassari quoque solent sub autumno multi epidemici morbi praesertim diarrhoeae, dysenteriae, quae originem sumere videntur a pruinis tale corrosivo imbutis. Soleat enim aestate, fervidissimo sole ex commixtione variarum particularum sulphurearum & salino-acidarum, variae indolis salia, praesertim caustica subtilia in aere generari, quae accedente frigore principio autumnii cum pruina descendunt & saepe frumenta, arbores, frutices & fructus imprimis rubigine adficiunt, quae degustata nauseam vel vomitum movent, aut in labiis ulcuscula excitant. Qui nudis pedibus incedunt, pustulis pedum vexantur & qui diutius in campis morantur, febribus ardentibus corripiuntur. Talem observationem *Misc. Nat. Curios. Dec. III. An. IX. Obs. 93. exhibent.* Rorem saepissime ex alto desfluere fructibus & plantis infestum; ex quo innumerabilis vermiculorum & insectorum copia pronascitur, horticultrae dediti norunt, quo rore perfusis plantis si vescuntur pecora, vel vehementer aegrotant vel plane extinguuntur. Idem fit, quando homines olera verminoso pore infecta inter cibum sumunt, gravis dysenteria oritur, quae superiori anno ex tali causa in quibusdam districtibus Ducatus Brunsvicensis suborta fuit. In Italiae regionibus aestivis noctibus in libero aere dormire non si-

ae vi.

ne vitæ periculo homines possunt non alia de causa, quam quod tunc uredo sive Germ. der Mehl- Thau delabatur, summe subtili corrosivo sale delibuta, quæ poros corporis subeundo, nervosasque partes infestando febrilem impetum, variis symptomatibus comitatum, invehit, maxime omnium vero Romanus nocturnus aer æstatis tempore humanæ naturæ infestissimus est, qui sæpe incautos in vitæ discrimen conjicit.

§. XXVIII.

Sicuti vero subitæ mutationes aeris in calidum & frigidum, vel in siccum & humidum quam maxime nocent, ita etiam tempestates diurnæ, facta mutatione in contrarium, invehendis morbis aptissimæ sunt. Placet vero ante omnia ea, quæ huic in finem magnus noster Hippocrates annotavit in conspectum producere. Hic Lib. de aeribus, aquis & locis §. 25. & aph. II. S. 2. ita scribit: *Si hiems siccæ est & borealis, ver autem pluviosum & australe, necesse est æstatem febriculosam fieri & lippitudines inducere, non enim fieri potest, quin acutissima febres in omnes irruant, maxime in pituitosis & dysenteria in mulieribus & viris nascantur.* Ratio nempe hujus observationis facilis est: nam si hiems siccæ parum humiditatis subministrat, ver autem valde pluviosum & australe est, tunc mirifice corporis nostri fibræ relaxantur, serum incipit abundare, excretiones retardantur, unde nascuntur impuritates, quæ in pituitosis & mulieribus maxime, in primis viis accumulantur & putrescunt & ita febribus malignis, continuis, lentis, verminosis, item dysenteria fomitentur subministrant.

§. XXIX.

Porro in l. c. §. 26. & aph. XII. S. III. scribit Hippocrates: *Si hiems australis fiat & pluviosa & clemens, ver autem boreale & siccum & tempestuosum, tunc mulieres facile abortiunt, vel morbidi ac impotentes pueri gignuntur.* Ratio est in procinctu: hieme videlicet pluviosa valè tum copia, tum impuritate humorum infarcuntur, superveniens vero borealis aeris status, stringendo corporis po-

ros & fibras, pellit sanguinem copiosum ac impurum ad interiora & quidem in gravidis ad iterum, ubi vasa disrupta enormem sanguinis profusionem & abortum efficiunt: infantes vero, si ejusmodi sero putrido nutriuntur, sunt languidi & morbofi. Et §. 28. l. c. hæc habet: *Si ætas pluviosa sit & austro multo perferatur, similique sequatur autumnus, necesse est hiemem morbidam esse.* Etenim sub austrina aeris constitutione in corporibus copia fit impurorum humorum, quos frigus & aquilonaris hiems detinet, reprimat ad interiora, inque motu & circulo sistit, unde origo est februm, inflammationum, catarrhorum. Simili quoque ratione, quando ætas est pluviosa & insequens autumnus est borealis, tunc catarrhi valde exercent homines, qui cum horrore & calore præternaturali invadunt, intra viginti quatuor horas soluta coryza, tustis & faucium inflammatio conspicitur. Annus MDC CVII erat siccissimus; grassabantur tunc febres tertianæ per universam fere Germaniam. Menses vero Januarii & Februarii humidi ac frigidi, sine ulla glacie erant, tunc diarrhoeæ & ventris tormina, item febres catarrhales, catarrhi, anginosæ faucium inflammationes & purpuræ valde infestabant. Ex quibus intelligitur, aerem ejusque repentinas mutationes & differentes mutuo se excipientes tempestates, diversissimæ indolis nec non curationis, imo difficilloris judicationis morbos proferre. At nihil magis optandum in incrementum artis nostræ salutaris est, quam ut nostris temporibus sagaciores Medicorum magnum ducem nostrum *Hippocratem* sequantur & simili modo epidemicorum morborum observationes conscribant, perpetuo antecedentes temporum & tempestatum rationes adnotando. Neque etiam aliter possumus, quin laudatissimos istos conatus & labores celeberrimorum Virorum *Sydenhamii*, *Ramazzini* & collectorum Actorum Curiosorum & Vratislaviensium, quibus summa cum laude defuncti sunt, collaudemus & horum exempla ad imitandum aliis proponamus.

§. XXXI.

Incidit vero hoc loco, cum de temporum & tempestatum mutationibus tractamus, quaestio non minoris momenti, quam nam harum

harum mutationum, quæ singulis fere annis diversæ conspiciuntur in aere, sint causæ. Veteres, & inter eos summi viri, siderum in corpora influxui, tempestates & inde dependentes in sublunaria effectus adsignarunt. Sunt vero, qui hunc influxum plane negent ac explodant, & ita negent, ut solis duntaxat vim ac efficaciam in corpora admittant atque tueantur, eo, quod hic calore suo plantas atque animantia foveat enutrietque. Enimvero nos sumus hujus sententiæ, utique astra diverso situ conjunctione ac positu varie premere, imo dirigere atmosphæram. Et hæc ratione ex diversis plagis ventos suscitare, eorumque efficaciam ac motum quoque augere vel minuere posse. Optime enim Galenus astrorum influxum in hæc sublunaria Lib. II. Proreter. hunc in modum demonstrat. *Si mutui stellarum aspectus operaretur nihil, soli duntaxat, qui fons luminis ac vitæ est, concessio imperio in hæc inferiora, quatuor anni tempora singulis annis eandem faciendæ temperaturam servarent, cum sol non alium uno quam altero anno cursum suum peragere soleat, quod tamen non accidit.* Illud vero non possumus non monere, quod astrorum illa doctrina, quam vulgo profitentur, dum ex aspectibus planetarum cum luna prædictiones suas formant, nihili sit habenda. Deinde sciendum & hoc est, quod solus siderum aspectus non sufficiat ventis & tempestatibus excitandis, neque causa proxima sit, sed potius remota, quæ ad effectum disponit, quem verò non necessitat, quin potius, ad certas tempestates invehendas, plures ut concurrant & consentiant causæ necessarium est. Quo numero habemus regionum diversum ad solem & polum situm, deinde ipsius loci positum, quoad vicina montium juga, aquas, maria, cum solis variantem pro anni temporibus ad certum climatum situm & influxum, denique terræ motum, & tandem etiam exhalationes cuiusvis regioni peculiare, præsertim, quæ ex polo arctico videntur magno agmine & copia prodire; postremo etiam, quando tempestates certas prædicere volumus, necesse est, ut præcedentes aspectus planetarum, & ventorum, qui diutius in atmosphæra regnarunt, naturam ac virtutem probe ponderemus.

mus. Nam hæc ipsa, adhuc in ære detenta, subsequentes ventorum facultates & siderum potentias varie modificat ac immutat, quæ omnia debent simul probe respici ac considerari in astronomiis observationibus conficiendis. Illud etiam vehementer desideratur, quod rerum naturalium scrutatores indefesso studio ac diligentia in multis locis & climatibus diversis accurate observationes meteorologicas, notando insimul motum argenti vivi in barometro & caloris gradus, concinnare & invicem postea conferre debeant. Ita futurum est, ut ad majorem perfectionem hæc astrorum scientia, quam jam conspicitur, perveniat.

§. XXXII.

Interea tamen illud diligentiori & attentiori observatione, cum primis clarissimorum Anglorum *Goad & Cook* constat, quod aspectus planetarum inter se considerati, insignem in atmosphæram inferant mutationem & quidem hoc modo: quod Saturnus maxime excitet ventos septentrionales & frigus inducat, Jupiter vero ventosus & procellosus sit, præsertim si cum Mercurio vel Sole conjungatur: Venus vero humidam atmosphæram reddat, concitando maxime ventos autumnales. Et Mercurius quoque, cum atmosphæram tenuem reddat & levem, est inconstantis naturæ ratione effectus, qui potius pro ejus diversa cum aliis planetis conjunctione differens est. Sol vero & Mars fere concordiam omnium astronomorum sententia atmosphæram calidam & siccam reddunt & ventos ex austro & oriente flantes suscitant.

§. XXXIII.

Superiores itaque planetæ, quum atmosphæram valde compressam, frigidam & ventosam reddant, hæc ex causâ, fibras corporis tendendo & stringendo, omnis generis spasmos doloresque exacerbant, & faciles sunt ex ita præ arthritidi ac inflammatoriæ & erysipelacæ febri, item epilepsiæ & hæmoptysi. Mars vero & Sol cum aliis juncti, calorem & ferentiam afferunt atmosphæram, calidos morbos fovent, sanguinemque commovent. Inferiores, ut Luna, Venus, Mercurius atmosphæram sistant leviorē, & ob id vaporibus implent. Inde fibræ relaxantur & primum fit iter ad morbos ex atoniâ, ex stagnatione & circulo sanguinis languido provenientes. Luna crescente fibræ relaxantur, & hinc tumores crescunt: decrepente vero fibræ stringuntur,

Ud 2719

ULB Halle 3
003 712 451




f

nur A. Stae TA 70x
bisher aufgenommen

Von P
M. G.







7.
L. D. B. V.

DE

AERIS INTEM- PERIE MULTORUM MORBORUM CAUSA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO CAROLO,
BORVSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, RELIQUA,

PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNO,
COLLEGII MEDICI h. t. DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU
publice disputabit

JOHANN LEONHARD GEINIZ,
Altenburgensis-Misnicus.

ad diem Septembris MDCCXV.

H. L. L. C.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.